

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

§. 1. Sapientissimè factum esse, vt non omnia sint in vno loco.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45686**

Matris sacrata passim sunt in Bauaria, &c tota Germania; vt le Laureto & Italia, Gallia, Hispania nihil dicam; in quibus tem ipsa & locus, diuinam quandam virtutem accepit, sanandi morbos, pellendi spiritus inmundos, varijsque malis pressos leuandi, vt meritò possit terra benedicta, terraque sancta nominari, terra illa promissionis multis retro seculis significata. Quoniam obrem extimum mortalibus beneficium à Deo datum est, in illa terra, quæ fuit benedicta fructuum vbertate, Christi sanctitatem, Matris Christi imagine; quin & repræsentatione cœlestis patris, quæ est terra viuentium, terra benedicta, terra promissionis, terra sancta & Sanctorum. Hæc aut ignorantes simpliciter, aut disfiantes andacter, vt Tertullianus loquitur, Conditorem traducunt, quasi homines e Paradiſo transuenas, omnes ad Caucatum regârunt.

Tertullian.  
lib. de cult.  
femin.

## C A P V T X VII.

*Etiam alias terras bonis, & labore non fugientibus  
bonas esse.*

Matth. 7. 16.

**S**se ita, vti diximus, indubitate fatebuntur, quicunque diuinis literis credunt. Sed obijcent, Non esse omnes terram *sanctam*, neque omnem posse ab ea felicitate, vocari *benedictam*. Ut igitur, inter hirundinem & lusciniam, ita & inter terram & terram discrimen magnum interuenire. Aliter enim vitam in Tibure, aliter in Sardinia agitari. Stenosos esse, plurimis in locis, agros; arida prata, solum sterile, paludosos campos; arenosas regiones; irrito labore in cunctis seminari. Et ibi quoque, vbi pinguis est gleba, nihil sponte prouenire. Denique omnem messis spem sudoribus irrigandam. Nimirum omnis querela, aut impatiens est, aut stuporata. Stupide enim mentis est, omnia ab uno loco exigere. Alibi Ceres, alibi Bacchus; alibi panis, vinum alibi querendum est. Neq; spicas de vinea vellere, neque vbi seminatum est triticum, racemationem facere oportet. Numquid colligunt de spinis vnas, aut demulcis fisus? Alia alibi felicius proueniunt, vt commercijs sit locus, & causa humanæ societatis. Nemo foris emeret, si omnia domini nascerentur. Et, vt videoas, omnia prodesse, ipsa etiam fax aliud.

aliunde aduehuntur. Tu alteri pannum mittis, ut corpus vestias; alter tibi columnas mittit, quibus domum fulcias. Sic tibi lana, illi lapides, immo utraque utriusque profundit. Rusticus est pago lac & butyrum fert in urbem; ex urbe refert instrumenta agriculaturae. Ut ille igitur aliquid deest in uno loco, ut id, quod superest, ad alterum locum exportet, & amicitiam gignat, necessitas comandeandi.

At haec sudore constant? & ut dicitur, dij omnia laboribus vendunt? Hoc primus noster parens nobis meruit, cui dictum est; *Maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea, cunctis diebus vita tuae. Spinæ & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam terra. In sudore vultus tui vesctris pane. Culpam sequitur poena.* Sed poena vtilis, quia labore parta vitam sustentant; immo & poena leuis, quia multis labor est jucundus, cum ignavia naturæ aduersetur; & homini nihil tristius sit, quam otio torpere. *Homo* Iob. 5. 7. enim nascitur ad laborem, sicut avis ad volatum. Quia igitur, ut S. Hieronymus ait, *Nihil sine magno labore vita dedit mortalibus*, & hoc ipsum homini natura suave, utileque facit, & deses cibo indignus censemur, juxta illud: *Si quis non velit operari, nec manducet*, non solum mirandum non est, si non sint ubique Elysij campi, aut Thessalica Tempe, sed etiam inter diuinæ prouidentiae beneficia numerari potest, si quibusdam Deus sterilitate loci offert occasionem laborandi. Quin & plurimi Sanctorum deliberatis consilijs, loca aspera, atque inulta elegerunt; ut ibi virtus tantò securius regnaret; ubi nec terra, nec homines possent luxuriare. Sic vixerunt illi, *quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & cavernis terre.* Sic in Agypto deserta loca coluerunt discipuli S. Marci Euangelista. Sic eorum posteri & imitatores Eremitæ. Sic S. Bruno ab Vgone Episcopo Gratianopolitano montes totius Dioceesis asperrimos, quos Carthusianos appellant, impetravit habitandos. Nimirum ad sidera serio tendentibus aspera in vias vertuntur. Quemadmodum etiam ad Tartara currentibus via expeditione est, per pascua pinguis. Plerumque enim ubi magna rerum, ibi non parua scelerum est abundantia. *Hinc felix illa Campania*, ait Plinius, Plin. li. 3. c. 5. *ab hoc sinu incipiunt vitiferi colles, & temulentia nobilis, succo, per omnes*

I L  
Gen. 3. 17.Iob. 5. 7.  
S. Hieronymus.  
ep. 13. ad Paulinum.  
2. Thessal. 3.  
10.

Hebr. 11. 38.